

Diplomatice Regno in subsidium exolutionis Confinariae Militiae 1750. Anno cessorum, jam a 1. Novembris 1769 impediverit, et quod emolumenta eadem a Status publici administratione ita auferantur, quin vel Statibus et Ordinibus Regni, solito canali suo, aliquid de eo constaret; proinde ut justus hic dolor nervose Suae Majestati Sacratissimae repraesentetur, et administratio emolumentorum restitui petatur; aut si id ex altissime cognitis rationibus Sua Majestas Sacratissima facere non dignaretur, ut adminus emolumenta eadem, in annuis 8 Millibus florenis, quae certo certius Statui Militari inferent, Sua Majestas Sacratissima in Aerarium suum Regium per imputationem in Contributionem assumere dignetur. Nec absimiliter quoniam Venerabile Capitulum Zagrabienae, de Principe et publico bene meritum, consimili Aulico-Bellici Consilij facto, Comanda Dubiczensi privatum se esse exponeret, ut Instantia ejusdem Venerabilis Capituli, ad Suam Majestatem Sacratissimam pro ponenda Medella directa, nervose recommendetur, determinatum est.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1790. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis, Anno 1790. 12. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo, Die Duodecima Mensis Maji, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabienae, ex Edicto, et primum sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Maximiliani Verhovacz, Divina Providentia Episcopi Zagrabienae, Abbatis B. V. M. de Topuszka, Comitatus Berzencze Supremi ac Perpetui Comitatus, velut ad Actum neo-clementer resoluti Excellentissimi Domini Comitatus horum Regnorum Bani juxta praescriptam Altissimo Loco Normam peragenda Installationis benigne Delegati Commissarii Regii, ac tandem terminata eadem Installatione sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitatus Joannis Erdödy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitatus, Suae Majestatis Sacratissimae Camerarii, Actualis intimi Status Consilarii, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Generalis Congregationis

Acta et Articuli.

(*Caeteris exmissis.*)